



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 145. Ordo Annuntiarum a Papa confirmatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CXLV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1502*Ordo Annunciatarum a Papa confirmatus.*

Postquam Joanna Franciæ Regina Ludovici XI. filia, ut supra memoravimus, a Ludovico XII. repudiata fuisset, adversæ fortis suæ iniquitatem ad propriam, aliorumque salutem, ac sanctimoniam vertere intenta erat: unde apud Biturices monasterium Virginum B. Mariæ annuntiatae condidit, ac dotavit. Hujus instituti disciplinam a quodam ex Fratribus Minoribus Observantibus, Gabriele Maria, quem a confessionibus habuit, conscribi voluit, & cum speciali cultu Beatissimam Virginem prosequeretur, ac continuo Deum exoraret, ut Dei-paraë virtutes non modo ipsa imitari posset, sed etiam omnes novo ipsius Ordini adscribi petentes, easdem tanquam vitæ suæ exemplar sequerentur, ideo suum Confessarium instanter rogabat, ut regulam ex præcipuis Beatissimæ Virginis virtutibus concinnatam præscriberet. Vocatur hic *Ordo Annunciationis seu decem virtutum*; totidem enim virtutes Joanna inter ceteras selegerat. Alexander VI. lib. 2. *Bullæ Secret. p. 69.* hunc Ordinem, priusquam conditum haberent monasterium, approbabat, eundemque duodecima Februarii die anno salutis

Sæcul. XVI.
A.C. 1502

millesimo quingentesimo secundo Apostolico diplomate confirmabat: anno autem sequenti primi asceterii fabrica Avarici Bituricum confecta, amplis redditibus a Joanna augebatur, ipse quoque Ludovicus XII. Galliarum Rex hujus monasterii erectionem Regiis literis eodem anno mense Decembri datis ratam habebat.

§. CXLVI.

Ferrarii Cardinalis obitus.

Gnic. l. 6.

Ugel. Ital. sacr.

Bzov. hoc an. n. 16. Ciacon.

Hoc anno die vigesima septima Julii sacrum Collegium uno Cardinale Joanne Baptista Ferrario orbatum est. Hic in lecto suo exanimis inveniebatur, rumorque ferebat, eum veneno quod ejusdem Cubicularius ei propinaverat, sublatum fuisse, imo referunt nonnulli, id (*) Alexandro ac Valentinensi Duce instigantibus, factum fuisse, forte ea ex causa, ut Cardinalis bona aucuparentur: certum enim est, eorum jussu opimam hæreditatem ultra octoginta nummum aureorum

(*) *Ciaconius hæc habet: Veneno sublatus a Sebastiano Pinzono cubiculi præfecto, qui postea sub Leone X. ob alia crimina carceri traditus, hoc eodem, quod antea negaverat, in tormentis sponte revelato poenas dedit: cetera silent Ciaconius, Bzovius, & alii.*